

Universitätsbibliothek Wuppertal

Titi Livii Patavini Historiarvm Libri Qvi Svpersvnt Omnes

Livius, Titus

Mannhemii, 1780

Liber XXIX, epitome

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1309](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1309)

TITI LIVII PATAVINI
HISTORIARUM
AB URBE CONDITA
LIBER XXIX

EPITOME

Ex Sicilia C. Lelius in Africam a Scipione missus ingentem prædam reportavit, & mandata Masinissæ Scipioni exposuit, conquerentis, quod nondum exercitum in Africam trajecisset. Bellum in Hispania finitum, victore Romano, quod Indibilis excitaverat; ipse in acie occisus. Mandonius exposcentibus Romanis a suis deditus est. Magoni, qui in Gallia & Liguribus erat, ex Africa & militum ampla manus missa, & pecuniæ, quibus auxilia conduceret: præceptumque, ut se Hannibali jungeret. Scipio a Syracusis in

4 E P I T O M E

*Bruttios trajecit, Locros, pulso Punico
 præsidio, fugatoque Hannibale, recepit.
 Pax cum Philippo facta est. Idæa mater
 deportata est Romam a Pessinunte oppido
 Phrygiæ, carmine in libris Sibyllinis in-
 vento, pelli Italia alienigenam hostem
 posse, si mater Idæa deportata Ro-
 mam esset. Tradita autem est Romanis
 per Attalum regem Asiæ. Lapis erat, quem
 matrem Deum incolæ dicebant. Exceptit
 P. Scipio Nasica Cn. filius, ejus, qui in
 Hispania perierat, vir optimus a senatu
 judicatus, adolescens nondum quæstorius,
 quoniam ita responsum jubebat: ut nu-
 men id ab optimo viro reciperetur
 consecrareturque. Locrenses legatos Ro-
 mam miserunt, qui de inpotentia Q. Ple-
 minii legati quererentur, quod pecuniam
 Proserpinæ abstulerat, & liberos eorum ac
 conjuges stupraverat. Pleminius, in cate-
 nis Romam perductus, in carcere mortuus*

est. Quum falsus rumor de P. Scipione proconsule, qui in Sicilia erat, in urbem perlatus esset, tamquam is luxuriaretur; missis ob hoc legatis a senatu, qui explorarent, an ea vera essent, purgatus infamia Scipio in Africam trajecit, senatus permisso. Syphax, accepta in matrimonium filia Hasdrubalis Gisgonis, amicitiae, quam cum Scipione ipse junxerat, renunciavit. Masinissa, rex Massyliorum, dum pro Carthaginiensibus in Hispania militat, amisso patre Gala, de regno exciderat. Quo per bellum saepe repetito, aliquot praeliis a Syphace rege Numidarum victus, in totum privatus est: & cum ducentis equitibus exsul Scipioni se junxit: & cum eo primo statim bello Hannonem Hamilcaris filium cum ampla manu iniecerunt. Scipio, adventu Hasdrubalis & Syphacis, qui prope cum centum millibus armatorum venerant, ab obsidione Uicæ

depulsus, hiberna communivit. Sempromius consul in agro Crotoniensi prospere adversus Hannibalem pugnavit. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita ducenta quatuordecim millia. Inter censores, M. Livium & Claudium Neronem, notabilis discordia fuit. Nam & Claudius Livio collegæ equum ademit, quod a populo damnatus actusque in exsilium fuerat; & Livius Claudio, quod falsum in se testimonium dixisset, & quod non bona fide secum in gratiam reddisset. Idem omnes tribus, extra unam, ærarias reliquit, quod & innocentem se damnassent, & postea consulem censoremque fecissent.